

Ya
5494

X 200 5023

R O S
MELLIS, NON

R O S,
NEC MELLIS

R O S,

der ungleich angegebene

Honig: Thau /

quem nuperrimè in viciniae nostrae frugibus quibusdam
(secali cum primis) observavere plurimi,

In Per antiqua Academia Electorali Hierana

indultu benevolo

AMPLISSIMI SENATUS PHILOSOPHICI,

moderante

M. JOH. SAM. Tromsdorff /

Mittelh. Thur. ad D. ANDREÆ & MAUR. Diac.

explicabat

JOHANN. Wieffel / Gummerspachio-

Marcano-Guestphalus, SS. Th. & Ph. Sr.

Defendet a. publicè in Auditorio PHILOSOPHORUM

renovato

Die XXX. Augusti A. S. M. M. DC. IC.

ERFURTI, imprimebat GEORGIUS HENRICUS MÜLLERUS.

BIBLIOTHECA
PONTIFICIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



DEO.
PATRIÆ.
ET.
PATRONIS.
SACRUM.



I. N. J.



Lnsuetum exhibemus, L.
 Ingenuæ, disquisitionis obje-
 ctum, non quidem menscitates
 & cyathitates Platonicas ex an-
 tiquitatis orco revocantes, nec
 antipodas ostensis in puteo ho-
 minum umbris inutiliter demonstrantes, alio-
 quin *Lucianus in vita Demonactis* & isti, qui
 mulgeret hircum, & illi, qui cribrum supponeret,
 parilem stultitiam exprobraturus esset, *sed rarissi-
 mum meteoron*, quod à $\frac{2}{12}$. præcedentis Julii per
 aliquod hebdomadam intervallum multorum
 oculos mentesque obstupescens detinuit: per-
 optâsemus equidem ut Naturæ-Consulti cele-
 brioris rei stuporis plenæ expromsissent causas,
 ast ne syllabam quidem in systematibus & insti-
 tutionibus eorū adinvenies, exceptis notionibus
 roris & mellis divisim & breviusculè tractatis, hinc

A. 2

Ma.

Magistratus Locrensis pace (de quo Plutarch. de
 curios. & Lycosthen. de Apophthegm. p. m. 187.
 quod si quis rogasset, num quid novi? multam ei
 dixissent) à quo & locorum & temporum spatio
 maximè sumus remoti; pace etiam Socratis Me-
 teorologica nunquam disputantis, & ad ea, quæ
 supra nos, referentis, primas sequentem in mo-
 dum ducere decrevimus lineolas, ut (1.) doctio-
 rum censuræ objiciamus quorundam (quos ta-
 citè veneramus) placita ore tenus nobis commu-
 nicata, adjecto nostro qualicūque judicio pro-
 babili. (2.) Objecta ad hypotheses physicorum con-
 suetas examinemus. (3.) Examinata in effectus
 & consequentia resolvamus, in tantum, in quan-
 tum virium, temporis, materiæ, aliarumque fun-
 ctionum ratio istud permittit: fit ergo au-
 rigante Domino

CAP.



CAPUT I
 JUDICIA VARIORUM

aperiens.

SENTENTIA PRIMA.



St ^{ררר} rubigo, ærugo ista, de qua
Deuteron. XXIX. 42. seu ^{י רקון} itidem
 rubiginem segetum morbum deno-
 tans ³; *Reg. IIX, 37.* Hæc tanquam pœ-
 na ab Altissimo inobedientibus l.c. mi-
 natur, efficitur a. nimio humore per-
 putrefactionem, *Conf. B. Avi Raupii Comment. b. l. con-*
sulanturque Theologi quorum hæc explicare inter-
est. Antiqui Romani (recensente Fabro & Calepino in
Lexic. it. Alex. ab Alexandro, p. m. 54, & 880, ut & Job.
Rosino antiq. Roman. p. m. II2. seqq. 209. seqq.) inter De-
as Rubiginem colebant, utpote rubiginem à frumen-
tis avertentem, Ovidius L. 4. Fast. in Fin.

*Flamen in antiqua lucum Rubiginis ibat,
 Ext a canis flammis, ext a daturus ovis.
 Protinus accessi; ritus ne nescius essem. &c.*



Virgilius Lib. 1. Georg. versu 139.

— — ut mala culmos esset Robigo.

Nec non Rubigus, Deus rusticorum, cui feriae publicae celebrabantur, dicta Robigalia, vel Rubigalia, ita Rubiginalia, vid. praeter cic. aut b. Varro lib. 1. de R. R. Plinius l. 17. & alii. Verum & tempus 7. Cal. Maji sc. & aliae circumstantiae subjectorum, sc. segetum, arborum &c. suadent ut credamus per Robiginem ll. cc. intelligi æruginem omnibus annis notissimam, quam vocant Brand / quæque consumere solet non solum grana affecta, d. etiam integras spicas, quod de nostro meteoro non universaliter valet juxta inferius dicenda, hinc aliqualem duntaxat concedimus convenientiam.

PLACITUM SECUNDUM

asserit,

CUM ultimis diebus proximè præcedentis Mensis Junii St. Vet. tonitru & fulgur formidabile cælo ceciderit, tuncq; sub initium æstatis particulæ sulphuræ in pluvia corrupta subtiliore (Sommer = Regen / secundum quosdam Mehlthau) delapsæ sint, quæ se insinuaverint poris frumenti, iisque ad apertis succum eduxerint; hujus assertionis ratio prima potest afferri, quia sulphur est corpus oleaginosum & viscidum, odores gignens, inflammationes efficiens &c. quæ exponit Bechman. System. Phys. l. 3. part. spec. cap. 1. §. 10. pag. 267. quodq; sulphur nativum hic ad minimum admixtum sit, suadet natura sulphuris nativi apud eundem p. 477.

Ratio

150

Ratio secunda delumenda est ex foetore ferè sulphureo in quibusdam spicis deprehenso; Quærenti autem cur iste foetor non sit in omnibus, respondem⁹, quia in quibusdam calore solis sulphur dissipatur & extrahitur, itemque quia non in omnes æqualis sulphuris quantitas cadit, istud experientia est comprobata, quando foetidæ spicæ calori solis expositæ, foetorem amiserunt, aëre Phœbique caliditate atomos sulphureas distrahente.

Tertiam rationem suppeditare videtur Sperling. instit. phys. L. V. ad præc. 18. p. 836. ita scribens, sepe sole aërem illustrante roris instar minutissima decidunt guttula, plantis instar farinae aut sacchari adhaerentes, & tabem aut rubiginem iisdem afferentes.

OPINIO TERTIA.

Videtur species quædam Mannæ seu mellis aërei: naturam mannæ in physicis evolventibus, duplex ejusdem aderit declaratio, hinc etiam hypothesei bitaria admissa biforme orietur iudicium.

Primo à Fromondo apud Bechm. l. c. C. 4. §. 118. Sperling. l. c. ad c. 8. quest. 3. & alios Manna (quæ hodiernum colligi dicitur ad mare Caspium, in Moscovia, Polonia, Lithuania, aliisque locis versus orientem sitis, prout à Physic. extraneorum facile principe Posnero privatim edoctus sum: præcipuè à Medicis celebratur) Manna, quam vocant Calabrinam, qui consulantur) dicitur succus dulcis & pinguior, cum melle (crudo sc. non usuale seu concreto) quoad substantiam fermè conveniens, saltemque ab eo subtilitate & crassitie differens, ex herbis, fronsibus, ramisque arborum generatus, ex rore & exhalatione stellarum virtute percoctus, in infima aëris regione noctur-

nocturno frigore concretus. Hanc si quis admittat descriptionem, in affirmativam inclinabit, (cum & nostra sit succus dulcis, pinguior, inveniatur in herbis, cum primis longicaulifoliis) nilque ipsi obstabit, nisi quod Manna reperiatur in regionibus calidioribus, quodq; nostrum meteoron alios post se relinquat effectus ob admixtam materiam sulphuream. Dum a hic mannam analogicam admittimus, non intelligimus Mannam tale, quale Israëlitis in deserto per integros 40. annos datum legimus *Exod. XVI, 14. seqq. apparuit in solitudine minutum & quasi pilotusum in similitudine pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israël, dixerunt ad invicem Manhu,* siquidem hoc in mortario contundebatur, nostra non item, hoc albi coloris erat, figuræ seminis coriandri &c. nostra non item: *Es war ein recht Herren Brod.*

Secundo verò peculiarem & à reliquis præstantiss. naturæ scrutatoribus valdè differentem Mannæ descriptionem exhibet *Sperlette Phys. nova part. 3. sect. ult. Manna esse liquorem candidum, nulliusque saporis, qui in arborum ramis & herbis invenitur, ibique generatur ex tenuissimis terræ exhalationibus, commotis calore solis, & noctu præcipue in prædictas herbas decidentibus.*

Stante hac Mannæ natura, ros mellis neutiquam manna vocari poterit, non enim erat liquor candidus, sed aurei & rubicundi coloris, qui degenerabat exterius in nigredinem, neque à sapore aliena. Prior interim sententia, utpote plurium suffragiis stabilita, si quæ recipienda, erit probabilior.

PRO-

PRONUNCIATUM QUARTUM.

CONCILIAT cum additamento *JUDICIA PROLA-
TA*, quod omnium optimè fieri putamus, si causas
rimemur, & definitionem construamus. Quod er-
gò concernit.

(1.) CAUSAM EFFIC. (*quam certò sensu magis de-
ficientem dixeris*) eam respectu vaporis, vel, si mavis, suc-
ci liquidi, dicimus esse SOLEM calore suo (liquatio
enim est opus caloris) tunc temporis ad plures gra-
dus aucto, particulas humidas & sulphureas *partim
ex terra frugibusve elicitas, partim è superno aliqualis, di-
urno s. nocturno, magis tamen nocturno frigore depresso*
tempore sereno RAREFACIENTEM, (*non enim vapor extol-
li potest nisi per rarefactionem, nec rarefieri, nisi per calefa-
ctionem*) poros aperientem, sicque abundantiae humidi
exitum parantem; Respectu condensationis autem
causam judicamus esse frigus, hujus quippe est con-
stringere, condensare, constipare. *Zeisold. Instit Phys.*
l. 2. s. 3. a. 1. §. 3. p. m. 435. & 422.

(2.) Materiam statuimus vaporem humidum,
(hic enim omnium meteororū humidorum materia
est, recensente *Zeisold. loc. cit. p. 445.* Quem & mate-
riam roris in genere esse non diffitetur *Thomas* cum
Aristot.) ortum ex humore superfluo, conjunctum cum
sulphure.

(3.) Formam sequens declarabit definitio.

(4.) Finem effectus & consequentia partim c. 3.
partim præsens suppeditat definitio:

Est ergò ros mellis (a) meteoron (b) hy-
B po-

postaticum (c) aqueum (d) calore solis (e) è granis [& foliis] (f) herbarum, earumque humido (g) superfluo [in quibusdam cum sulphure conjuncto] cum primis longicaulifoliarum elicatum, frigore debili condensatum (h) frugibus valde noxium (i) & colore primum rubicundo s. roscido, sed exterius in nigredinem paulo post degenerante (k) constans, in hominum poenam (l) Deique gloriam. (m)

(a) Hoc vocabulo utimur loco definiti, cum æquivaleat germanico ex impositione vulgari Honig-Thu/alias malleus æruginis vel Mannæ analogicæ nomine uti, it. uredinis, clavi s. matris secalis (Mutter-Korn) à subjecto primario & effectu desumptâ ratione denominandi.

(b) Meteoron, i.e. in alto suspensum (Philosophi barbari vocant Metaura, quando mentionem faciunt Meteororum Aristotelis) non quasi nostrum instar, nubium, pluviae, pruinae, nebulae &c. in altum feratur, sed quatenus terminus meteori traductus quoque est ad ea, quæ in inferioribus locis attamen ex similibus causis oriuntur. *Vid. Schmidii Phys. pos. part. post. sect. 2. §. 3. n. a. & §. V. n. f. J. Thomastus Phys. C. 17. §. 2. Idem §. 29. naturam meteori omnium optimè declarat, quod sit exhalatio elementaris cum certa quadam affectione considerata. Vox meteoron repræsentat h. l. genus remotum, cui verò placet descriptio, facilioris generis loco ponat vitium secalis.*

(c) Me-

(c) Meteora hypostatica dicuntur, quæ potentiis sensibilibus, quibus sensus nostros feriunt reverà constant, indeque specie illâ, qua à nobis videntur aut audiuntur reverà existunt. *Posner. Coll. Phys. Mss. part. spec. sect. 2. quest. 135.* opponuntur emphaticis, quæ dicuntur colorum species in corporibus, e. g. Iris, *Thomasius l. c. C. 18. §. 2.*

(d) Meteoron hypostaticum aqueum est genus proximum, quod patet ex natura generis proximi, aliàs meteoron hypostaticum triplex esse communiter statuitur, vel igneum e. g. ignis fatuus, vel aqueum, e. g. pluvia, vel aëreum e. g. ventus.

(e) Differentia prima à causa effc. Sole desumpta qui per cuticulam secalem attenuatam melleum humorem è spica secali elicit, in clavum quendam interiorius farinaceum, exterius autem nigredine obductum facile friabilem & deciduum degenerantem, qui pluribus aliis granis succum detrahit, atque ita spicam sterilem reddit.

(f) Materia in qua.

(g) Materia ex qua proxima

} Constituent differentiam secundam à materia.

(b) Ad causam efficientem pertinet, vid. supra pronunciatum quartum.

(i) Differentia tertia ab effectu, quia consumit grana vid. infra cap. 3.

(k) Quarta à forma externa.

(l) Finis intermedius est ultima differentia

(m) Cùm fine ultimo. Quemadmodum impii dicuntur pœnas dare *ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος* à gloria (i. in gloriam) roboris (aut potentia) Domini 2, *Thes. 1, 9.*

CAPITULUM II.

Modo dicta ad hypotheses Physi-
corum de Melle & Rore expendens.

Descendendum nunc est, brevisfimisque demon-
strandum

(1.) Quod nostrum meteoron non sit ROS
propriè dictus, quamvis dici possit rorulentum, it.
roscidum, quemadmodum *Virgilio* dicuntur *mella ro-*
scida, apud *Corvinum* l. c. p. 587.

(2.) Quòd non sit mel sensu proprio &
genuino acceprum. Prius probamus juxta sup-
posita Philosophorum sequentia

(a) Ros est sua natura vapor tenuis (*vid. phisici com-*
muniter, *præcipuè Schmidius Phis. pos. p. 89.*) hic autem
neutiquam est tenuis sed densus potius & lentus.

(β) Ab origine, ros est exhalatio terrestris, hic
autem est exhalatio plantæ, secalis sc., nondum com-
pletè maturæ.

(γ) Ros generatur ex iisdem vaporibus è qui-
bus componuntur pruina & nebulæ *secundum D. Tho-*
mam & Sperlette Phis. novapart. 3. p. 215. Ast hic diver-
sam esse materiam ex antecedentibus patet.

(δ) Hinc ros constat aquæ tenuissimis guttulis,
Bechm. l. c. hoc non item.

(ε) A subjecto. Ros in terram sparsim cadit
(*Posner. l. c. Quæst. 179. & Bechm. l. c. p. 372.*) hoc autem
inveniebatur tantum in secali & juxta quosdam in
herbis quibusdam aliis succi plenis, e. g. caulis cepa-
rum &c.

(ζ) A

(2) A tempore, ut plurimum enim ros gignitur autumno & vere, quod experientia pariter ac Sophorum testimonia comprobant, hic autem æstas erat calidior.

Hæc ergo ex natura roris desumpta, si cum nostro conferamus meteoris, clarissime evincunt, istud non esse ros propriè & strictè dictum, sed nomen hoc ipsi à vulgo esse inditum, partim ob aliqualem, exiguam licet, convenientiam, partim apud eruditos ex acceptione roris nimis generali ab Aristotele exposita, l. c. *Meteorol. c. 10.*

Alterum quod concernit, non nobis animus est explicare, quid vel quale fuerit mel Trapezunticum, Lydium, Thracicum &c. cum *Philos. lib. de mirab. narrat. que extant in mea editionis part. 4. p. 207. seqq.* sed quod UREDO nostra NON SIT MEL accuratius sumtum paucis demonstramus.

(a) Mel est succus è floribus jam maturis vicioris ad extremitates pororū aridissimorum attractus, *Sperlette Phys. nova part. 3. sect. ult. p. 225.* Hoc autem non eliciebatur è floribus, sed granis filiginis, non maturis, si autem cum *Sperling. l. c. p. 842.* in herbis & frugibus mel concedas, item que si verum esset, quod quidam de plebe narrant, cellulas apum jam magis abundare melle, quam alias, eo quod hoc etiam succo apes apiaria adimpleant, non prorsus diffitendum, quod ex effectu mel appellari queat, interea non pro melle communi venditandum, cum ob defectum non iis temporibus semper ab apibus colligatur, quibus colligere mel crudum regulariter consuevere.

(γ) Mel est succus sine omni detrimento fru-

Etuum præfens absensque, heic verò maximum capiunt detrimentum spicæ fecalis, vel putredine, vel tamen uredine cum dimidia albedine in granis adhuc contenta elabente, antequam adhuc in horreum introducatur.

(2) Mel à putredine conservat (*Bechm. l. cit. p. 383.* at hoc in quibusdam putredinem adauxit. Dicis: Ergo putredinem inducendo erit ros, hæc quippe est effectus roris.

Resp. (1.) putredinem potissimum esse à principio interno, (2.) & alios humores putrefacere, inde autem non rorem esse.

(3) Imo ne quidem mel est in sensu latiori, prout *Gassendus de meteoris c. 3. tria mellis genera exhibet. Mel* (quod notat vel apum opificium parziale vel id ex quo apes id conficiunt) *manna & saccharum.* Utut materiæ mellis in quibusdam non sit dissimile, nec non quoad causam efficientem ex parte, quosdam effectus, it. quatenus mel dicitur aureum, aurum dicitur rubrum, è rubro fit nigrum per solis ardorem in matre fecalis.

(4) Tandem si quis esset Peripateticus cum *Arist. l. 5. Hist. animal c. 22.* consentiens, mella esse ex rore aëris (cui tamen Antiperipatetici rectè contradicunt) nostrum meteoron eò minùs mel vocari deberet, sed hæc obiter.

CAPUT III.

De

Signis, Effectibus & Consequentibus nostri meteor.

Re-

Referendum esse præfens symptoma ad meteora,
quæ sunt signa iræ vel gratiæ ob excessum aut defectum virium cum Alsted. l. 3. Phys. Peripat. c. 5, nemo sapientum ibit inficias.

Primò heic monendum esse duximus, quod & *annonæ caritas* & **VILITAS** ex præsentia uredinis huj' inusitatae consequentia probabili, licet non apodictica, deduci possit: Caritas, si spectemus putrefactionem, hanc insequentem granorum defectum, itemque prout est pœna ab Altissimo inflicta. Vilitas ex abundantia humorum in frumento & fertilitate terræ verè superflua; imò si quibusdam annosis de vulgo fides habenda, in hoc seculo aliquoties adessentiam hujusmodi secuta est annonæ laxitas, cum autem hac de re nihil extet apud historicos, aliosque eruditos, nihil etiam determinamus, hocq; consequens problematicè exhibemus.

Secundò, si aliquid ponendū, potius **CARITAS** ex defectu granorum & farinæ conjicienda erit, præterquam enim quod putredo, ea, quæ affecit, perdidit, materiãq; succi quoad maximam partem in nigredinem resolverit, præfens testatur experientia, quod affecta grana omnia delabantur, antequam in horreum colligantur, ut triturrantes nulla amplius ustilaginis hujus minus consuetæ vestigia inveniant, quod etiam contra naturam communiter ita dicti clavi secalis seu uredinis (*des Mutter forns*) hæc quippe à triturantibus observatur, aliquid etiam farinæ in nigredine involutum continet, illa autem ne minima quidem relinquit vestigia.

Tertio quod quidam putent morbos exinde fore secuturos, id evertit (1.) Consecutivum jam allatum; non entis seu absentis meteori non potest esse efficacia. (2.)

Con-

Contrarium testatur experientia sufficiens, plurimi enim hominum panem è frumento in agris antea contaminatis adhuc residuo coctū comederunt, nilq; incommodi inde senserunt. Cōmunicavit quidem Patronus quidam venerand⁹ *ex Aug. Brun. Triad. Elect. Pol. l. 2. p. 93. sequentia, quae non penitus videntur absimilia: Anno 1284, mel in Alsatiapluebat, unde multi olera & fructus comedere recusabant. Pestilentia in locis plurimis sequebatur. Verum hoc unicum exemplum non facit experientiam, licet ergo abundantiam saepe comitentur morbi ob nauseam crapulamque nimiam; itemque defectus apud esurientes gignat molestiam, tamen cum hæc valde sint remota & accidentaria, nostro meteorō non proximè erunt imputanda.*

Quarto tandem ab experientia non est alienum, quod meteoron saepe nominatum cum rore quædam consequentia & effectus habeat communes, quod enim, sicut Plutarchus è Mercuriali & ex isto Bechm. l. c. p. 375. tradit, ambulatione sub arboribus rorifluis contrahatur scabies aut lepra, istud quibusdam lambentibus heic obtigit, ut labia proximo die scabie fuerint correpta. Porro afferente simul Fromondo l. 5. meteorol. c. 4. n. i. Et Vossio de origine & progr. Idol. l. 3. c. 11. ros spica exceptus non defluit, sed sole ibi calefactus putrescit, efficit ut & spica putrescat, quis non idem huc quadrare asserat? Materiaturum ejus non prorsus improbabile mel sc. silentii peplo involventes, hæc sufficere putamus ad prima lineamenta; Qui majora aut meliora iisdem superstruere valebit, illi nos maximè fatebimur obstrictos, cumque Deo & die ipsi additamenta pollicemur non penitus ingrata. Deus interim rore gratiæ suæ nos alterius refrigeret, cui soli sit laus, honor, & gloria.

CO.

COROLLARIA.

- I. Vapor non est aqua.
- II. In eadem linea à nubibus ad terram ducta eodem tempore pluere & ningere potest.
- III. Mundus non est in loco propriè dicto.
- IV. Atomi sunt causæ corporum naturalium itemque mutationum ac impressionum variarum.
- V. Iris fuit ante diluuium.



Schauet nicht der Himmel Seegen/ wenn dem Fleiß vor nichts grauet?
Schauet nach Herr Wieffels Wegen/ der was neues aufbauet?
Gründet Plato solche Lehren/ die auch Stagyrtes findet/
Bindet man den Kranz der Ehren/ wer sich unterwindet
Täglich auf Parnassus Spizen Kunst zu zeigen unbeweglich/
Bläglich muß hergegen Schwitzen wem Bacuna stets behäglich.
Solte/ Werther/ Ihn drum zieren Pallas mit dem Cronen Golde?
Wolte dieses nicht gebühren dem der allen Musen holde?
Freyllich/ weil bald Honig fließet/ welches vielen wird gedeylich.
Greulich dieß dem Neid verdrißet/ doch bleibt Mund und Feder heylig.

Mit diesen höchst abgeeilten versichert seinen werth
geehrten Herrn Aud. und geneigten Gönner wie
auch ges. vornehme Anverwandte der schönen
Früchte seines Fürnehmens

PRÆSES.

E

Die

Die Neßel pflaget bald die bloße Haut zu brennen/
 Das Häckgen krümmet sich zu rechter früher Zeit:
 So lasset sich an Ihn des Fleißes Nichtigkeit/
 Mein Freund/ Mein werther Freund in hellen Glanz erkennen;
 Nichts wird die Lorber-Krohn' hinführo von Ihm trennen
 Weil Er igo versicht/ was wohl läst sagen sich
 Darum du Momus, nicht hast zu bekümmern dich.
 Mann kan es einen Saft der heißen Sonnen nennen.
 O wohl Ihm/ daß er weiß was mehr Gelehrte wissen/
 Und bücket sich hinzu Gamalielis Füßen/
 Die erste Fleißes That empfäht' aus seiner Hand
 Das liebe Mutter-Hertz igo mit tausend Freuden/
 O wohl die Vaterland! O wohl Euch allen Beyden!
 Was Euch vergnügen kan / wird Euch nun zugewandt.

* * * *

QVOT dies duro gravidos labore
 Impigre doctis studiis sacraasti
TOT bonos fructus, totidemque clara
 Gaudia carpis.

*Paucis hisce Insignem Clarissimi Domini Respon-
 spond. industriam condecorare voluit
 debuit.*

BARTHOL. NAZZIUS, h. t. P. Elxl.

Sonnet.

So wird sein Schweiß und Fleiß numehr in Preis versetzt/
 Indem fast iederman den Weißheits-Ruhm vermehret/
 Und Ihm bezeugen muß/ der Wahrheit unverleht:
 Daß nie Verdruß noch Müh die Sinnen leicht beschweret/
 Sie haben sich vielmehr an Weißheit stets ergetzt
 Und ihren Nutz gesucht/ wie die Erfahrung lehret.

Drum

Drum wird mein werther Freund für andern hochgeschätzt /
 Auch von der Musen-Schaar iemehr undmehr geehret /
 Weil Ihn der Honig-Thau auf den Catheder setzt /
 Den Er nicht ohne Grund in keinen Thau verkehret /
 Es ist ein Safft des Halses / woran Er rühmlich schwätzt
 Der dem Getreide nicht den Wachsthum gar verstöhret.
 Gott segne ferner Euch / und gebe dann zuletzt
 Soviel Geschicklichkeit / * wieviel Ihr selbst begehret.

* Per allusionem ad nomen Dn. Resp.

Mit diesen in höchster Eyl abgefasten Zeilen hat seine
 gebührende Pflicht gegen seinem wehrten Con-
 terraneo und geneigten Gönner gratulirend able-
 gen wollen.

Joh. Rotg. Bönneken SS. Th. C.
 Wefaliâ-Cliviaco-Guestph.

Terra sibi quantas hyemali tempore vires
 Sub nive quæsierit, tempora verna docent,
 Wieffeli! mecum genuit quem Westphala tellus,
 Quem semper studiis junxit Hiera mihi:
 Quantas sub quanto collegeris inde labore
 Vires in studiis, comprobat hoc specimen
 Quò non es veritus cum laude resolvere nodum
 Auctor naturæ quem ligat ipse Deus.
 Testatur, quod * nomen habet, res ipsa: Cacumen
 Parnassi ascendis, quod nec Apollo negat:
 Scande igitur, tandem quo & summa cacumina Cœli
 Attingas, quorsum te vehat alma Trias.

* Wieffel mutatâ literâ initiali sonat
 gieffel/quod penes nos Westphalos
 enunciatur pro giepsel.

*Quod Conterraneo & amico suo integerrimo
 gratulabundè apprecatur*

Johannes Karthaus SS. Th. & Ph. St.
 Lennepa-Montano-Guestphalus.

Quis

Queis lacrymis fruges rorat Tithonia conjux?
Mellificis tradant, prodigiumque canunt.
Non simul ardor habet quos cingit machina mundi,
Hinc labat ambiguò spes mea mista metu;
WIEFFELII verò doctè perdocta Minerva
A vero nunquam dissidet aut refugit,
Pegasei fontis gustavit nectar amœnum
Propinat Gerae pocula melligena:
Mellificis lacrymis, sicut Tithonia conjux,
Pallas **WIEFFELII** cepta riget gravia!

Ita Pereximio ac Doctissimo Domino
Respondenti cecinit

Hiobus Fidejuitus Heuser.

Qui colit æonias, per vitæ tempora, Musas:
Is tandem fructum colligit inde bonum.

WIEFFELI? Musas coluisti semper amœnas,
Dum fuit haud parvi doctus *Apollo tibi*
Nam fundamentis *Dortmunda* per bene jactis;
Susati libros nocte dieque tuos
Volvisti, demum placuit **GERANA**, sacratum
Quò possis studium continuare tuum.
O ardor suavis! tu prodes tempore quovis,
O ardor! torques, denique læta foves.
Et verè, fructus [liceat rogo dicere] largos
Hæc tibi donabunt, donaque multa dabunt.
Est ita: testis erit **GERANA Academia**, tollit
Dum præsens factum laudibus ipsa tuum.
Hic quarè nifas sit ab omni parte beatus,
Cui faveat *summus Rector in orbe Deus*.

Sic **JENAM** certè poteris lustrare secundè,
Ac ad signatum tendere tela scopum.
Tunc in venturo, nec eris sine, munere, largo
Fructu; quod rogo, quod peto, quodque volo.

JOH. ANDR. PLAZIUS, SS. Th. & Ph. St.
Möhlhemia Rhenano - Gueſtphalus.



1077

Q. K. 132, 32.

R O
MELLIS,

R O
NEC ME

R O
der ungleich ange

Honig:

quem nuperrimè in vicinia nostræ
(secali cum primis) observa

In Perantiqua Academia El
indultu benevo

AMPLISSIMI SENATUS
moderante

M. JOH. SAM.

Mittelh. Thur. ad D. ANDREA
explicabat

JOHANN. Bieffel / Gu

Marcano-Guestphalus, SS.

Defendet a. publicè in Auditorio P H
renovato

Die XXX. Augusti A. S. M.

ERFURTI, imprimebat GEORGIUS

